

Quid igitur homini profuerit labor & industria, qua votis suis potiri satagit, cum (Deo non aspirante, à quo rerum omnium effectio suspensa tenetur) nihil ad optatum finem perducitur? Non equidem, ut abjecto laborandi studio desidia & ignavia se dedat: sed ne ita consilio & labori confidat, ut Dei opem & benedictionem precibus impetrandam neglectui habeat; Qui ut tempora & temporum momenta in sua manu & potestate comprehensa habet, ita illa precibus suorum flexus, eorundem commodo dispensat.

VER. 10. *Vidi hanc esse occupationem, quam dedit Deus filiis hominū ut occupent se in ea.*

Hic si quis excipiat, res humanas temerè & volubili fortunæ rota converti: is se non ex rerum consequentia, sed sua inscitia errore implicat. Bellè enim novi, Deum hoc negotii mortalibus, ut in eo se occuparent, mandasse;

VER. 11. *Ipsium unumquodq; facere pulcrum suo tempore; etiam quandiu seculum est, exponere animo illorum (excepto eo quod non assequitur homo) opus quod facit ipse Deus; a principio ad finem usq;.*

Ut diligenti omnium peruestigatione, Deum quodq; suo tempore pulchrè & affabrè fecisse assequerentur: quod quidem negotii ut illis mandavit, sic attentè causas & exitus rerum

rerum